

2087

C O D I C E S

2088

*Dominica Gaudete*, quae est III. Adventus, unde Nota ad *Decembrem* potius pertinet. In alia Nota ad *Februarium* recensentur *Attinentia ad beneficium S. Margarete*, five satis curta Supellex vasorum et vestimenti sacerdotalis; item agri, prata et vineae illuc pertinentes, quo loco nominantur Pagi *Enzesfeld* et *Lintaprum* cum Oppido *Sachenau* (Salchenau, Saalenau) inter *Viennam* et *Neostadium* siti. Denique ad *Octobrem* dicitur peragi *Anniuersarium domine Anne Roesenwegerin* singulis annis in *Nouacuitate in Ecclesia beate virginis* (postea cathedrali) proxima dominica post diem *Omnium animarum per dominos Lewtuincos* vel *Lewtiuncos*; ita enim dubie scriptum est. Quod, quid sibi velit, discere cuperem. Ceterum nihil peculiare habet *Missale*.

## DCCCLI.

R. 3266 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 243. f. per duas columnas caractere crasso, luculento, atro perscriptus, rubricisque distinctus, est *Missale*, quod e *Calendario* praevio, in quo *Bruno* et *Hugo Lincoln. Ep.* miniati comparent, ad *Carthusiam* aliquam referendum videtur, eamque in ditione *Bobemica*, vel *Provinciis conterminis* sitam, nam ad calcem *Margareta, Elizabeth, Wenceslaus, Adalbertus, Procopius, Ludmilla, Vitus, Fratres Martyres Cristinus, Benedictus, Mathaeus, Johannes* et *Isaac* propriis Officiis celebrantur. Juvat item observare

*Silam*, qui in *Martyrologio Baronii* 13. *Julii* colitur, in *Calendario* nostro 28. *Novembr.* cum adposito *Apostoli* memorari. *Fol. ult.* habetur *Ritus suscipiendi novitium monachum ad professionem*, in quo tamen non exprimitur religiosae Familiae nomen. Tabulae posticae adscriptae sunt *Litterae Rudolphi de Rudesheim* prius *Ep. Lavantini*, nunc *Wratislaviensis* et per *Poloniam* ac *Bobemiam* Sedis *Apostolicae Legati* ad omnem *Clerum Dioec. Olomucensis* datae *Wratislaviae Die XXVII. Mens. Octobris Anno domini 1474.* quibus injungit *Preces contra Belli calamitates singulis diebus ante inceptionem Introitus Summe misse* publice persolvendas additis 40. dierum *Indulgentiis* etiam pro *Laiis*, qui earum loco 20. *Pater noster* et *totidem Ave Maria* recitaverint. *Precum* porro *Formula* integra subjuncta legitur. *Sedem Olomucensem* ea tempestate inter *Bobustaum Hassensteinium de Lobkowitz*, et unum, alterumque *Italum* nutasse, notum est ex historia.

## DCCCLII.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 2217 XV. Folior. 239. f. maj. optime scriptus et servatus, coloribusque et luculenta ad *Canonem Christi* dextro latere vulnerati et tribus clavis adfixi *Imagine* conspicuus est *Missale* in usum *Dioeceseos Salisburgensis*, ut e *Calendario* praevio eruitur, in quo *Rudberti* et *Virgili Epp.* *Festa* et *Translationes* minio consignantur. *Fol.*

225.